



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

30. Dies Septemb. Non quemquam propter canos, aut rugas putes diu vixisse, non ille diu vixit sed diu fuit? Seneca I. de Brev. Vitæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

774 Christiani Miltis Septemb.
legio. Hoc Angelicum vexillum plantabo in corde
meo. Hoc uno in corde meo, prælia Domini pra-
liabor. Hæc tibi, quisquis virtutis acquirendæ
studiosius, sit vox familiaris. Quis ut Deus? si quo
dicis, verè sentit, senties vim maximam inesse illis tri-
nis verbis, & experieris bono tuo esse verissimum
illud de his verbis:

Stellis, atque herbis vis est, sed maxima verbis.

30. DIES SEPTEMB.

Non quemquam propter canos, aut rugas putestu
vixisse, non ille diu vixit sed diu fuit? Seneca de
Brev. Vita.

Non dif. I.
ferendū,
tempore
bene uti.

Hoc mense præterierunt nobis
triginta dies salutis: vide an il-
lis te promoveris ad tuam sa-
lutem. Discute an non possit
de te dici, quod Seneca asserit hodiernā tessera, ut
hincē triginta diebus non vixisse, sed tantum fuisse.
Certè si lubet ad calculum revocare tua, quibus oc-
cuparis negotia, quibus vacas opera, reperies forse ex
modico illo, quo vivis tempore, plus te vitæ perde-
re, quam vivere. Si de vitæ brevitate, tibi fortè vi-
detur, quod non sit satis spatii, ad promovendam
tuam, quam optas, salutem, ad promendam felici-
tatem, quam expectas æternitatem, ad solvenda Deo,
quibus obstringeris debita, ad exhibenda illi quibus
obligaris obsequia, rectè doles tempus tibi nimis
angustum, cùm pro minimo beneficio, debeatur
Deo obsequiorum æternitas, sed ex illo spatio tam
contracto, plus tua culpa tibi depèrit, quam pietati
duæ supersit. Unde si vel totum vitæ spatium dole-
bas

Septemb.

Tessera.

775

bas esse angustius tuis persolvendis Deo officiis ,
quantò magis dolere debes , illas angustia contrahi,
& pene totas detrahi ? Omne illud tempus æstimata
tibi perditum, ex quo non refers fructum , aut me-
ritum.

II. Si quod opus fuerit , non recto fine dire-
ctum, tam illud vacuum reputatur, & inane, quām
sit corpus exanimē. Jam verò divide per partes vi-
tæ tempus , & fortasse invenies te non tam vixisse,
quām duntaxat fuisse. Metire singulos, per suasho-
ras dies : Ex horis quatuor & viginti , detrahe quæ
sonno dantur , supersint decem , vel octo, vel sep-
tem in quibus vigilas : quantūm tibi quæsto , invigi-
las ? quid tum porrò boni , quid rectè operaris ? vel
enim otiaris : si otiaris , vanum est : si operaris , cu-
piditati operaris , & sic perdis operam , & pretium
operæ. Cùm enim nullus illius operis sit honestus
finis, est labor cassus , nedicam pravus. Preces for-
tasse aliquas à te recitatas suggestes : sed quantis illæ
intercisæ nugamentis ? quantis agitatæ curis alienis ?
quantis infuscatæ diversarum cogitationum macu-
lis? quām illud mancum & elumbe , & exile bonum,
quis non videt ? sed esto tamen, valeat , sed quan-
tum est istud ad reliquias diei partes ? Quot in o-
rando ponis horas ? Confer cum cæteris , quæ cas-
sæ sunt , & sine fructu effluunt , nonne evidenter
patebit te magis vanè , quām fructuosè vivere , ad-
eoquete tantum , esse diu , non vivere ? Neque
enim vivere censemendum est , quod fine videndi
caret , caret autem illo fine , nisi illud quod agis,
promoveat te ad illud regnum , cuius nullus est
finis. Non pudeat nos ex Ethnico Philosopho

Ccc 4

emen-

776 Christiani Militis Septemb.
emendicare aliqua temporis recte impendendi docu-
menta.

III. (a) Non exiguum, inquit, temporis habemus
sed multum perdimus; satis longa vita, & in maxima-
rum rerum consummationem large data est, si tota hu-
collocaretur: Sed ubi per luxum, & negligentiam
stram defluit, ubi nulli rei bona impenditur: ultima di-
num necessitate cogente, quam ire non intelleximus
transisse sentimus. Pessimè moreris in ipsa vita, si non
vivis bonam; Non differas bene vivere altero die,
quem forsan non videbis, vel si videoas, fortè non
erit voluntas. Vitæ pericula fugis, cur vitæ bona
pericula tibi creas, cunctando? dum tu bene vi-
vere differs, mors tibi vitam aufert. Vive hodie:
Hodie Deus est Dominus: ergo hodie oportet te
esse servum Dei: quia & hodie Deus servit tibi, mo-
& servat te, dum hodie, facit solem oriri super te,
filium fortasse tenebrarum, ut fias filius lucis. Deus
non differt in crastinum sua munera; cur tu differs
illi tua obsequia? Hodie te Deus cumulat indebi-
tis beneficiis; cur hodie non respondes illi debitis
officiis? Alterius diei obsequia non sufficient bene-
ficiariæ sui diei, cur vis, ut satisfaciant, etiam diei
jam præterito, & beneficiis, quibus hodie frueris?
Non sufficit diei bonitas sua, ut solvat debitum
futum, quomodo vis, ut solvat etiam pro malitia
alterius diei, duplicatis debitibus tuis, & gratiis Dei.
Hodie Deus est Deus, & hodie tu es creatura: ho-
die tu es, & fortè cras non eris. Cur unius horæ au-
des jacturam facere, cùm per æternitatem non po-
teris Deo satisfacere pro beneficio minimo, quod hoc

(a) *Supra.*

Octob.

Tessera.

777

hoc momento accipis, ex infinito amore Dei procedenti? Sic ergo statue secuturi mensis tempore, uti, ut totum illius spatium, sit tibi ad meritorum cumulum. Solve citò, sine procrastinatione, quæ Deo debes, nomina. Quia:

Sicut non solvis, te magno crimine volvis.

I. DIES OCTOBRIS.

Quid Angeli de his, quæ scienda sunt, ne-
sciunt, qui scientem omnia, sciunt?
Gregorius l. 2. Moral.

Angelus I.
Custos.

Duxo hujus mensis principium, à quo Deus cœpit creandi principium, ab Angelō. Erit enim hic mensis tibi ad salutem auspicatissimus, si sub Angeli tui Tutelaris exigas auspiciis. Quamprimum Deus Angelos procreavit, simul quibusdam ex iis revelavit fore, ut certo tempore, certi homines illorum tutela essent in terris committendi. Nec enim poterant hoc nescire, qui scientem omnia sciebant. O quantum quilibet Angelus inter cœlestes illas, quibus circumfluebant, delicias, anhelabat ad illud sæculum, & illius sæculi annum, & illius anni mensem, & illius mensis diem, quo erat ille nascitus, cuius ipse curam erat suscepturus! Tandem post multa sæculorum volumina, adest sæculum illis optatissimum, nobis fortunatissimum, quo iili nostrorum curam cœperunt gerere, nos sub illorum tutela cœpimus vivere. Jam elucescebat dies nobis natalis, qui illis semper fuerat

Ccc 5

in